

No. 175. 1254. 21. Sept.

P. Innocenz IV. bestimmt die Bedingung, unter welcher Probst und Capitel allein gehalten sein sollen, von der römischen Curie oder deren Legaten ausgegangenen Anträgen auf Ertheilung von Präbenden, Beneficien und sonstigen Bezügen Folge zu leisten.

Innocentius episcopus servus servorum dei dilectis filiis . . praeposito, decano et capitulo ecclesiae Misnensis salutem et apostolicam benedictionem. Vestrae meritis devotionis inducimur, ut vos favore benivolo prosequentes specialem vobis gratiam faciamus. Hinc est quod vestris supplicationibus inclinati auctoritate vobis praesentium indulgemus, ut ad receptionem alicuius in vestra ecclesia vel provisionem in praebendis vel aliis ecclesiasticis beneficiis seu etiam pensionibus per litteras sedis apostolicae vel legatorum ipsius impetratas, per quas non sit ius alicui acquisitum, vel etiam impetrandas compelli minime valeatis, nisi in eisdem litteris impetrandis plena et expressa de huiusmodi indulgentia et toto tenore ipsius de verbo ad verbum mentio habeatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Anagniae XI. Kal. Octobris pontificatus nostri anno duodecimo.

†
 aussen: † Godescalus †
 †

Tedi

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Bleisiegel an rothen und gelben seidenen Fäden.

No. 176. 1254. 21. Sept.

P. Innocentius IV. beauftragt mit Beziehung auf die vorstehende Bulle den Probst zu Naumburg darüber zu wachen, dass das Capitel zu Meissen in Bezug auf die Verleihung seiner Präbenden und anderer Pfründen von Niemandem belästigt werde.

Innocentius episcopus servus servorum dei dilecto filio praeposito Nuemburgensis ecclesiae salutem et apostolicam benedictionem. Meritis devotionis dilectorum filiorum . . praepositi, . . decani et capituli ecclesiae Misnensis inducimur, ut ipsos favore benivolo prosequentes specialem eis gratiam faciamus. Hinc est quod nos ipsorum supplicationibus inclinati eis per nostras litteras duximus indulgendum, ut ad receptionem alicuius in eorum ecclesia vel provisionem in praebendis vel aliis ecclesiasticis beneficiis seu etiam pensionibus per litteras sedis apostolicae vel legatorum ipsius impetratas, per quas non sit ius alicui acquisitum, vel etiam impetrandas compelli minime valeant, nisi in eisdem litteris impetrandis plena et expressa de nostra indulgentia et toto tenore ipsius de verbo ad verbum mentio habeatur. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus dictos praepositum, decanum et capitulum non permittas super his contra concessionis nostrae tenorem ab aliquibus indebite molestari, molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non